

- A Venit sequenti anno ad partes istas felicitis memoriae Innocentius Papa, qui, Num. 45.
Dies festus
instituitur. audito miraculo, et virgini gratias egit, ipsumque miraculum tamquam indeficienti laude dignum anniversari laude donavit. Nulli autem in dubium veniant quae scribimus; quia non audita, sed convisa narramus.

DE CONCILIO REMENSI (a) ANNO MCXXXI CELEBRATO,

Fragmentum ex historia canonizationis S. Godehardi episcopi Hildensheim.

Inter Acta Sanctorum Bollandiana, ad diem 4 maii, pag. 522.

- B Num. 8.
Curia Leo-
diensis. IN Leodicensem civitatem curia indicta est, ubi Innocentius Papa cum Romana ecclesia et magna parte Galliae, cum Lothario Rege et fere universis episcopis Theotonicae regionis convenerunt, ut de violentia Romanae ecclesiae per Petrum Leonis perpetrata, qui tunc temporis papatum sibi violenter usurpavit, pertractarent, et qualiter illud idolum in templo Domini positum destruerent, elaborarent. Factum igitur est ut, ad dominicam *Letae Jerusalem* (b), ad praedictam civitatem multi catholici viri tam cum Apostolico quam cum Rege convenirent, et de communi statu ecclesiae pertractarent. Inter quos praeses noster Bernardus cum majoribus nostrae ecclesiae assistens, videns opportunitatem ultro sibi collatam, ipsum Apostolicum cum omni curia Romana aggreditur, vitaeque pastoris (c), nostri coram ipsis recitatur; et ut per eum in ecclesia Dei canonizetur, devotissimae preces funduntur. Sed cum consuetudo sit Romanae ecclesiae in generali concilio sanctos Dei canonizare, quod tunc temporis in Remensem civitatem in festo S. Lucae indictum fuerat; Num. 9. accepto consilio, petitionem ecclesiae nostrae usque in praedictum locum distulit, ibique diffiniturum certissime promisit. His ita gestis, antistes noster apostolicam promissione animatus, laetus regreditur, et ab omnibus devote suscipitur, et quae sibi responsa sint, enarrantur. Tunc omnes audientes quae per Apostolicum promissa sunt, unanimiter laetantur, precesque apud pontificem nostrum devotissimae funduntur, ne se tantae promissioni subtrahat, sed, licet laboriosum sit, ipse se tamen una cum majoribus ecclesiae nostrae ad indictam synodum representet.
- Jam dies advenerat, in qua synodus universae ecclesiae citramontanae indicta fuerat. Tum vero praefatus antistes noster Bernardus, una cum metropolitano Magdeburgense Norberto, qui tunc temporis in ecclesia Dei magni nominis fuerat, et majoribus ecclesiae nostrae, ad praefatam synodum iter instituit, et, Deo annuente, cum magna prosperitate ad Remensem locum pervenit. Ubi honorifice suscepti, Remense
concilium. dum jam synodus aliquot dies esset celebrata, antistes noster Bernardus Apostolicum Innocentium cum suis cardinalibus convenit, et de causa patroni nostri B. Godehardi usque eo induciata devotissime submonuit. Sed, Deo annuente et id faciente, omnes unanimes et concordantes in sua petitione invenit, ut post ipsa res indicavit. Nam postera die, cum in synodo generali Apostolicus resideret, nullo admonente, Num. 10. sed Deo faciente, Apostolicus luculentam ad omnes orationem habuit, in qua disertissime petitionem nostrae ecclesiae de patrono nostro exposuit, et ut assensum praebarent devotissime postulavit. His ita gestis, episcopus Tarraconensis*, vir religiosus et literalis scientia eruditus, quo ordine translatio fieri deberet exposuit, scilicet si ea quae dicebantur de patrono nostro, ecclesia nostra per legitimos testes ac juramenta comprobaret. His vero verbis Apostolicus se interposuit, et se a principibus terrae nostrae adeo in Leodicensi ecclesia certificatum fuisse asseruit, * Oldegarius. E ut non opus esset id secundo testificari quod lucidius sole posset probari. Auditae autem quae ab Apostolico dicebantur, omnes unanimiter, ut canonizetur, assensum praebent . . . continuo *Te Deum laudamus* canitur, laus omnipotenti Deo persolvitur, et sic demum coadunata synodus terminatur.

(a) Hujus concilii, cujus acta perire, notitiam dedit Labbeus, t. X Concil. col. 979, ex variis auctoribus a nobis jam editis, quibus et hunc anonymum addere visum est.

(b) Dominica IV Quadragesimae, quae, anno 1131, VI kalend. aprilis seu in 29 diem martii

incidebat. Verum annalista Saxo habet, *Dominica ante mediam Quadragesimam, XI kal. aprilis.*

(c) Godehardi, qui anno 1038 mortalitatem exiit, III nonas maii, videlicet sexta feria post Ascensionem Domini, prout legitur in chronico Hildensheim apud Chesnium, t. III Rer. Franc. p. 325.